

1525

versia fuerit, ut iis amicorum decreto finis imponatur, utrumque assensum est: & quadraginta interim nummorum millibus Clementi oppignerentur. Hæc illorum summa fuit, quæ Cæsaris nomine cum Pontifice agebantur.

Hieronymum vero Caracciolum, qui de novo cum Venetis foedere ineundo sedulo agitabat, acriter urgent, ut omnibus amotis impedimentis, rem perficiat. Tribus porro capitibus, quæ in controversia erant, contineri videbantur: primum, cum ex priori foedere ad Franciscum Sfortiam in Mediolanensi ditione retinendum, & conservandum Senatus cum octingentis cataphractis equitibus, sex mille peditibus, certoque tormentorum bellicorum numero teneretur; petebant Cæsareani, ut copiarum loco pecuniae vim certam penderet. Eam rem plurimis de causis probare Patres non poterant: neque enim e dignitate Reipublicæ censebant, ut quæ superioribus bellis suis copiis, Ducibusque præclara multa egisset, illius nunc societas pecuniae tantum cruentæ causa requireretur; plurima semper obtentui Cæsareanis futura, quibus ad illorum exercitus alendos, ac sustentandos aurum, argentumque flagitarent. Belli rumoribus, ac suspicione emittere exercitus, duces, legatos, imperatores pro finibus, pro agris, urbibus, oppidis tuendis oportere, quæ fieri absque pecunia nequeant: ea cum maxime indigeas, aliis suppeditare qui possis? Alterum vero de exilibus, & eorum, qui superioribus annis a Republica defecerant, Maximilianoque adhæserant, bonis restituendis, erat; quæ Cæsareani in eorum gratiam concedi petebant, neque a Republica facile admitti poterant, cum fisco adjudicata, & sub hasta a magistratibus venumdata ad aliorum manus pervenissent. Tertio capite petitiones pecuniae continebantur, quam Prorex a Republica postulaverat, quod illius copiæ Ticinensi prælio non interfuerint. Verum, ut amputatis difficultatibus, neque copiarum loco pecunias exigeret, neque de extorrum bonis restituendis verba faceret, Caracciolo mandatur, illam tantummodo, quam vellet Senatus, aureorum summam Cæsari persolveret.

Eodem die, quo per Herraram hæc in Italiam perlata sunt, qui fuit iiiij. nonas novembris, nuntii de Hieronymi Moroni captivitate, ac magna rerum apud Insubres mutatione super-

vene-